



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Ebrulphus Conf. 29. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

beneficium, excellentiam sensus, artis industriam, cultura bonum per steriles actus evertit, mergit auctori fructum, cultori gratiam negat; sicut arbor è terra, sic iste è vitâ meretur excidi. S. Petr. Chryf. serm. 106.

S. EBRULPHUS CONF. 29. Decembris.

**E**BRULPHVS è regis Gallia ad Christi aulam transiit, haud paulò honestiori loco futurus. Permoveere ad transitionem illa Christi verba, quibus non modò EBRULPHVM, sed te etiam, Lector, hodie invitat: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hæc, inquam, cum attentius apud animum suum confiderasset EBRULPHVS, quàm vulgò solemus, non insuper habendam ratus est conditionem, quam non homo rex, sed Deus offerret: mox igitur conjugii, liberis, aulæ, opibus, & clientelis vale ultimū dixit. Accessere comites EBRULPHO tres alii, quibus omnibus in solitudines dux bonus Angelus bonus fuit. Ibi, ut, quod initio dixeramus, non aulam, sed dominum scires deferuisse, cellas exædificavit centum & quinquaginta, totidemque clientes numeravit, aluitque, commeatum subinde cælo suppeditante. Nam cum dimidiis fortè panis, qui unus reliquus, imperio Divi, pauperi cessisset, adfuit continuo mulus cibariis onustus. Plus etiam sollicitus fuit viaticum divinum abeuntibus è vitâ ut daret: quare cum sine hoc è Sodalibus quidã decessisset, in vitâ revocavit tantisper; tum demū cum hoc ire feliciter jussit. Ipse quoque ultimū æger præter hunc cibū alium nullū multo tempore admisit, stomacho (vel animo potius) omnia humana respiciente. Mortuus deinde inter preces suorum revixit, dum



632 VITÆ SANCTORVM. 30. Dec.  
assem in miseros ipse dispensaret. Funeri dum il-  
lacrimatur in sacris Diaconus, morique etiam  
ipse exoptat, voti damnatus unâ tumulatur, anno  
D.XC. Ex Surio.

*Felicitas magna Christianorum, quibus datum est,  
ut paupertatem faciant pretium calorum. Non tibi  
displiceat paupertas tua; nihil eâ potest ditius inveniri.  
Vis nosse quàm locuples sit? calum emit. Quibus the-  
sauris conferri potest, quod videmus paupertati indul-  
tum? S. August. serm. 28. de verb. Apost.*

S. PHILETÆRUS CONF.

30. Decembris.

**M**Irentur alii in PHILETÆRO PROCO, Nico-  
mediæ filio illustre formæ decus, quo illum  
ævo suo Diis parem homines fecerunt; ego in  
pulcherrimo corpore pulchriorem animum de-  
miror exosculatorque; & hoc amplius, quòd animi  
æstimator ipse egregius, nihili membrorum de-  
corem fecit, omnibusque tormentis præbuit la-  
cerandum. Primum Diocletianum vicit, qui cum  
blasphemus Christum incesset, vindex divini  
honoris PHILETÆRVS, terram calosque ad iras  
movit. In fornacem deinde succensam injectus,  
se ipso pulchrior egressus est. Jam sub Maximia-  
no virgis uncisque sædum in modum acceptus,  
omnium tamen in se oculos Superùm rapuit, &  
tum denique his formosus est visus. Ferae sive for-  
mâ & ipsæ, sive fortitudine adolescentis captæ,  
ad pedes se abjecerunt victoris; feras verò cum  
duo homines induissent, gladioque Martyri im-  
minerent, in loco obriguere. Ultimò cum virtus  
hæc oculos jam tyranni etiam perstringeret, exu-  
lare iussa est. Et ecce de viâ morbi dæmonesque  
mali